

et Viro consociabitur, indiget benedictione, ut aliquo modo minas antiquas, tunc cum matrimonium erat contractus mere naturalis, illi illatas effugiat; et Benedictione Dei fruatur nunc, quando idem contractus elevatus est a Christo ad sublimitatem veri Sacramenti.

63 64 Paulus Maria Quartus *d. l. n. 297.* dicit, benedicere secundas Nuptias contra prohibitionem juris supra explicati, non esse peccatum mortale, sed veniale, contra opinionem aliquorum existimantium, esse peccatum mortale, quia *in c. 1. de secund. nupt.* imponitur poena suspensionis ob officio, et beneficio Parocho ita benedicienti: quae poena cum gravis sit, arguit peccatum grave. Cui opinioni maxime adhaerendum puto ex vi nostri textus, qui absolute imponit, ne Viduae benedicantur; et si quandoque, ut in secunda mea tabella, videatur quod Vir viduus benedicatur, ex tolerata consuetudine hoc fit, sed advertendum est, quod Benedictio cadit supra Mulierem primo nubentem, non super Virum, quod etiam innuit Rituale ipsam dum dicit: *Viduae non Vidui.*

§. X. Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari de-  
cet; Sed si Domi celebratum fuerit, praesente Parocho, et Testibus, Sponsi veniant ad Ecclesiam, benedictionem accepturi, et tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat; sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa, ut infra dicetur.

65 66 Matrimonia per verba de praesenti juxta monita Concilii Trid. *sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1.* fieri debet in Ecclesia, si non de necessitate praecepti, saltem de honestate, Rota coram Coccin. *dec. 1887. num. 37.* Unde quamvis plures Authores, quos refert, et sequitur Barbosa *d. c. 1. num. 35.* firment, quod Episcopus non possit prohibere ne Matrimonia domi celebrentur, sed tantum hortari, ut in Ecclesia fiant; nihilominus in praxi contrarium semper tenuit Monacell. *T. 1. tit. 2. for. 2. n. 7,* quia cum Ecclesia sit proprius locus Sacramentorum, et maxime deceat in ipsa ministrari, laudandi sunt Episcopi, quid id prohibent fieri sine eorum licentia, extra illam, sequendo vestigia S. Caroli, *Conc. Mediol. T. 2. t. 1. decret. 28.* Et est laudabilis usus, vel praxis Urbis: nam Cardinalis Vicarius nec etiam Principibus, et Magnatibus hujusmodi licentiam concedere solet.

67 Pro cuius opinionis majori fundamento, si Nicolius *Lucubr. civil. l. 1. t. 10. de nupt. n. 60. vers. ult.* et Bissy. *in Hierurg. litt. M, n. 108. §. 16.* non dubitant affirmare quod si Pa-

rochus praecepto Episcopi non pareret, et sine licentia, domi Matrimonium celebraret, mortaliter peccaret: evidens est, quod licite, et laudabiliter potest Episcopus prohibere, ne Matrimonia sine licentia extra Ecclesiam celebrentur: alias non peccaret, Parochus si praeceptum esset injustum, cum non valeat ad observantiam Praecepti injusti subditum cogere, *c. si Episcopus quis forte 11. qu. 2.* Nec curanda opinio contraria Antonelli *de loco legal. l. 1. c. 7. n. 3.* quia iste doctor caeca fide Barbosam sequutus, caeteris autoritatibus per eum allegatis, nihil prorsus de prohibitione Episcopi loquentibus, vacuus remanet.

68 Atque ut formulae impertiendi hanc licentiam det Monacellus supracitatus aliquem modum; illam in suo eodem primo Tomo, *Brax. t. 8. for. 11.* assignat, ut hoc pacto, etiam ritus accidentales ab Ecclesia praescripti non varientur, quod fieri nequit sine culpa ad tradita per Bonac. *de Sacram. in gen. qu. ult. num. 4.* agitur enim de solemnii administratione Sacramenti, in qua non potest Parochus ad libitum ritum contemneret, et domi illud conficere.

69 70 Qui Monacellus a me supra plene allegatus quando dicit, Ecclesiam esse locum proprium Sacramentorum, debet intelligi extra casum necessitatis. Sunt enim nonnulla Sacramenta, quae in Ecclesia ministrari non solent, sed extra illam, prout Extrema Unctio, Poenitentia, Viaticum ad Infirmos et etiam Baptismus, si timeatur mors baptizandi: sed ista separatio ab Ecclesia, in casu necessitatis tantum, ut dixi, haberi potest: Infirmi enim non valent accedere ad Ecclesiam. At Sponsi utique valent, et debent se conferre, nisi esset Matrimonium in articulo mortis ad Concubinam desponsandam, et Prolem legitimandam, quia iste quoque inter casus necessitatis potest enumerari.

Propterea ubi Rituale dicit: *si domi celebratum fuerit:* puto intelligendum esse, vel de Matrimonio celebrato in casu necessitatis, eo modo quo supra, si aeger convaluerit post contractum Matrimonium, vel de Matrimonio domi celebrato de licentia Ordinarii, qui causis sibi notis, potest in hoc casu dispensare. Ideo optime *Synod. Ferrarien. Card. de Verme,* inhibuit ne extra Ecclesiam, et hanc Parochialem, contraherentur Matrimonia, non obtenta in scriptis facultate ab Ordinario.

71 72 Circa quod Parochi advertere debent, ne tam facile se se induci sinant ad assistendum Matrimoniis extra Ecclesiam Parochialem, quamvis in corpore Parochiae existat. Haec dispensatio, seu hoc privilegium ab Ordinariis concedi solet Sponsis nobilibus, urbanitatis gratia, vel ex alia justa causa, sed at eorum exemplum datur saepe saepius, ut alii Sponsi etiam infirmi ordinis petant ex devotione, vel titulo commoditatis, ut

Matrimonium celebretur extra Ecclesiam Parochialem: cui dispensationi opponere se debet Parochus: non enim esse debet in potestate cujuslibet Plebeji Parochiani, sacerdotem Parochum tanto incommodo extra Ecclesiam propriam invitum trahere, quasi ad instar servi, et pedisequi infimae conditionis.

73 74 Dato quod contracto Matrimonio in domo aliqua ex dispensatione, debentur ad Benedictionem in Ecclesia, docet Rituale ne *Parochus iterum a contrahentibus consensum exigat*. Iste consensus in hoc casu non est necessarius, quia de Matrimonio amplius non agitur, sed de Benedictione, quae est contractus consecutiva, nec Matrimonium facit, sed supponit. Si enim Sponsi non accederent ad suscipiendam Benedictionem, adhuc Matrimonium esset validum, et indissolubile: ergo benedictio nihil addit quoad valorem Matrimonii jam rati; ergo iste consensus non amplius est exigendus. Quod si a Parocho exigeretur, utique in suo ministerio maximam imperitiam demonstraret: nec valet, quod dicat, hunc novum consensum esse ratificationem primi, quia ratificatio fit in casibus, in quibus dissolvi potest primus consensus: sed iste consensus amplius dissolvi non potest, cum jam elicitus sit; ergo frustra noviter exigeretur. Matrimonium enim per liberum consensum prolatum perfectum est in ratione Sacramenti, Engel. *Manual. Parochor. de matrim. p. 3. c. 1. §. 1. n. 3.*

§. XI. Admoneantur praeterea Conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad Sanctissimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant, et quomodo in eo recte, et Christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angelis Raphaelis eos edocentis, quam sancte Conjuges debeant convivere.

75 76 77 Concilii Tridentini praeceptum in Canone a me saepius allato, et allegato a Barbosa *de potest. Paroch. p. 2. c. 21. num. 7.* monet, ut Sponsi antequam contrahant, vel saltem tri-duo ante consummationem Matrimonii, sua peccata diligenter confiteantur, et ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant; nam si illud contraherent cum peccato mortali nondum deleto per contritionem, vel per confessionem, indigne reciperent Sacramentum, ac per consequens, novum mortale peccatum incurrerent: ita Fernandez *in exam. Theol. Mor. p. 3. c. 18. §. 1. num. 8.* Gutierrez *de Matrim. cap. 83. num. 13.*

Bonocina *quaes. 4. punct. 6. num. 1. vers. 6.* Ubi nota, quod committerent duo peccata mortalia, unum scilicet quatenus reciperent Sacramentum, alterum vero quatenus administrarent; sed solum quatenus reciperent ut animadvertit Sanchez *dict. l. 2. disp. 6. num. 4.* et alii apud Barbos. *dict. loc.* nec in aliud incurrerent peccatum quatenus viderentur violare praeceptum Concilii confessionem praecipientis, eo quia Canon ille continet Concilium, non vero praeceptum, Basil. Pont. *de Impediment. Matrim. c. 26. §. 2.* Barbos. *de Potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 172. et de Pot. Paroc. d. l.*

78 Quod Sanctissimam Eucharistiam suscipere debeant, apparet, de concilio tamen, ex Rubrica Missalis Romani *in Missa de Sponso, et Sponsa*, ubi dicit: *Posteaquam sumpserit sanguinem, communicet Sponsos*, super quo vide Gavant. *ibi P. 4. t. 17. num. 24.*

79 Ad illa demum, quae subdit Rituale quod in Matrimonio debeant Sponsi *recte et Christiane conversari*, dico multa circa hoc haberi *in Act. Mediol. t. 2. p. 4. de Sacram. Matrimon.* ubi integrum caput habetur praebens documenta, quomodo in Matrimonio sit versandum, et moriendum.

80 Ad hanc rem facit Doctrina S. Pauli Apostoli, 1. *Thesalon. 4. Unusquisque sciatur, Vas suum possidere in sanctificatione, et honore; non in passione desiderii, sicut et Gentes quae ignorant Deum: non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in Sanctificationem.* Item illud *Cor. 4. c. 7. v. 4.* nempe quod *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir: similiter, autem et Vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier.*

Exempla Tobiae et Sarae adducta a Rituali habentur in libro Tobiae, de illo enim dicitur, quod habens Filium, *eum ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato; et c. 9.* habetur Benedictio Raphaelis Archangeli, hoc pacto: *Benedictio super Uxorem tuam, et super parentes vestros: et videatis Filios vestros, et Filios Filiorum vestrorum, usque in tertiam, et quartam generationem; et sit semen vestrum benedictum a Deo Israël, qui regnat in saecula saeculorum.*

Item. *cap. 10. num. 12.* habentur illa pulcherrima verba Sponsae dicta: *Monentes eam honorare Soceros, diligere Maritum, regere familiares, gubernare Domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.*

§. XII. Postremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive, solemnitates Nuptiarum prohibitas esse; ut Nuptias benedicere,

Sponsam traducere, nuptialia celebrare convivium. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiae vero qua decet modestia, et honestate fiant: Sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.

81 82 83 Stephanus Fagundez Doctissimus Theologus Soc. Jesu, in suo luculentissimo Tractatu *de quinque Praeceptis Ecclesiae*, Praeceptum hoc de Nuptiis non celebrandis tempore prohibito, non admisit: quod neque fecit Aloysius Abelly Episcopus Ruthenensis in Libro *Praecipuarum veritatum ad Fidem et Justitiam Christianam spectantium*. Sed nec in ejus *Medulla Theologica* toties impressa. Ex quo deducitur, quod quamvis ista Nuptiarum Benedictio sit vetita ab Ecclesia, ut ex *Trid. sess. 21. de Ref. Matr. cap. 10.* et illi parere teneantur omnes Fideles; attamen non ab omnibus haec prohibitio inter Ecclesiae Praecepta recipitur: multa enim in Concilio supradicto prohibentur, quae in Catechesi Christiana et Catholica expresse non enumerantur. Stare igitur potest, quod hoc vere sit Praeceptum Ecclesiae, sed in Ordine ad quinque communia Praecepta non recipiatur. Card. Bellarminus tamen in ejus unica, et approbatissima Catechesi, seu *Doctrina Christiana*, inter quinque Ecclesiastica Praecepta hoc collocat, illi assignando quartum locum, ante decimarum solutionem, licet in Catechismo S. Pii. V. jussu edito, de hujusmodi Praeceptis Ecclesiae sermo distinctus non habeatur, eo pacto quo habetur de Praeceptis Decalogi.

84 85 Hanc temporis prohibitionem, variam antiquitus fuisse docet Sanch. *de matr. t. 2. disp. 7. n. 1. et seqq.* Et esse Impedimentum impediens, non autem dirimens, quod communiter appellatur *Feriatum*. Olim pluribus Anni temporibus haec prohibitio vigeat in Ecclesia Dei: nempe in diebus Rogationum, usque ad octavam Pentecostes, et tribus hebdomadis ante Festum S. Jo: Baptistae, *c. non oportet*; et passim, *caus. 33. q. 4. c. Cappellanus, de feriis.*

86 Ratio hujus prohibitionis fuit, teste S. Thoma 4. *dist. 32. q. unica art. 5.* quod tribus illis Pascharum temporibus olim Communio esset de praeecepto. Ex *Concil. Agathensi. can. 18.* Solemnitates autem Nuptiarum vehementer animos a spiritualibus avocant, ad carnaliaque trahunt, cum in illis convivium fieri, et multa alia laetitiae vanae signa exhiberi soleant: quapropter iis temporibus vetitae erant, ut vel sic a carnalibus his abstinenter, se se homines colligerent, Communionique paratiores redderentur ac caeteris divinis Officiis; nam qui Ecclesiae praeepta contemnunt, non sunt digni experiri illius benignitatem, *Conc. Trid. sess. 24. de Ref. c. 5.* Sed non haec sola

fuit ratio hujus prohibitionis, contra quam acriter blaterant Kemnitius, et Calvinus, et bene probat Bellarm. *l. 1. de matr. cap. 31. §. adde, etc.* Alia ratio in promptu est, nempe haec esse Festa omnium toto anno occurrentium celebriora: quare placuit Ecclesiae, Fideles ab his nuptiis abstinere, quo aptius jejuniis, ac Orationi vacarent, quae illo tempore maxime decerent, Sanch. *l. c.* et ergo ipse *de praeept. Eccl. disp. 8. §. 2.*

87 88 89 Hodie tamen Conc. Trid. loco superenunciato, abrogatis aliis feriis, constituit, ut solennes Nuptiae prohiberentur tantum a Dominica I. Adventus, usque ad Festum Epiphaniae: et a die Cinerum inclusive usque ad Octavam Paschae. Communis itaque Doctorum sententia ab omnibus recepta, et a S. C. Cardinalium declarata est, quod in praedictis Feriis tantum sollemnis, et extrema Nuptiarum pompa interdicatur, non autem Sponsalia de futuro, quia haec sunt mere contractus humanus, Ricci. *Peax. Eor. Eccl. Resol. 564. num. 5. p. 4.* imo nec ipsum Matrimonium, si ex juxta causa differri nequeat, et private, sine publica pompa, coram Parocho, et testibus, cum licentia Episcopi celebretur, Barbos. *de Potest. Episc. p. 2. allegat 32. num. 193.* Idem *de Pot. Par. p. 2. c. 12. Engel. dict. p. 3. c. 5. §. 4. num. 4.*

90 91 Atque hic optime locum habet Doctrina recentissima Monacell. *d. in Prae. T. 1. tit. 8. form. 8. per. tot.* Cujus verba sunt: privata traductio Sponsae, ad domum Viri, temporibus a jure prohibitis, de licentia, Ordinarii non est prohibita, neque interdicta: Quidquid enim in contrarium dicant Fagnan *in c. Capellanus, n. 10. et 11. de Feriis*, ejus opinio communiter, jure novo Concilii, rejicitur, ut patet ex Ricci. *dict. p. 4. Res. 566.* qui multos Doctores affert hoc confirmantes. Item ex Bissy. *Hierurgia litt. T. num. 27.* et aliis, quos contra Fagnan. congerit Pignatell. *T. 6. Cons. 47. per. tot.* et ratio conclusionis ea est, quam refert Monacell. *d. l. n. 2.* quia ut Sponsi eo tempore, ab actu Conjugali abstineant jure novo Concilii (quidquid esset dicendum, inspecta censura antiquorum Canonum) non est praeepti, sed tantum consilii, ut praeter mox allegatos tenet novissime modernus Zeger Bernard. Vanespen. *in Tractatu de Jure Ecclesiae. Univers. p. 2. t. 13. n. 16. t. 1.*

92 93 Quo vero ad Convivia Nuptialia, quae celebrari solent, quoties concurrat urgens, et rationabilis causa (quae de raro contingere potest) non est abbreviata auctoritas Episcopi, quin dispensare valeat, ut temporibus ab Ecclesia prohibitis fiant Nuptiae cum solemnitate, et cum Sponsorum Benedictio, ut affirmant Graff. *decis. aur. p. 1. l. 2. c. 85. num. 29.* Ponc. *de Matrim. l. 6. c. 8. n. 11.* Bissy. *Hierurg. p. 1. litt. B., num. 72. §. 1. et Monacell. d. l. n. 3.*

Causae autem justae, et rationabiles, ob quas poterit Episcopus concedere Matrimonia contrahi temporibus ab Ecclesia ve-

titis, ommissa Benedictione, allegantur ab ipso Monacell. *d. t. n. 5.* et sunt fere eadem, quae in dispensandis denunciacionibus concurrere debent, nempe.

94 95 I. Quoties probabiliter suspicatur, Matrimonia indebite ac malitiose fore impedienda. II. Quando Magnates contrahere volunt. III. Quando Parentes, Tutores vel Curatores Viris indignis, et longe disparibus copulare Virgines niterentur. IV. Si Matrimonium esset contrahendum in articulo mortis cum Concubina ad legitimandam Prolem, vel ad securiorem Infirmi transitum. V. Ubi contrahere volentes diu habiti fuissent pro Conjugibus, et ad evitandam erubescenciam, et infamiam, cupiant Matrimonio vero coniungi. VI. Si Concubina, vel alia publica Meretrix esset ducenda in Uxorem, ut absque mora desistat a peccato, et ad evitandum periculum mutationis voluntatis. VII. Ad evitanda scandala ob aliquas factiones, et inimicitias, quae propter Matrimonium sopiri sperarentur. VIII. Quoties contrahere volentibus ex dilatione, aliquid notabile damnum, vel incommodum, tam corporis, quam Bonorum immineret. Et in similibus casibus, quos sparsim apud Authores supra allegatos reperies, et praesertim apud Corrad. *Prax. dispens. l. 7. c. 7. n. 23.* Pac. Jordan. *de Matrim. n. 15.* justam habebit Ordinarius dispensandi causam in uno tantum tempore prohibito, vel in utroque simul. Attamen, ut monet idem Monacell. *l. 1. num. 4.* Episcopus debet esse rigidus in dispensando super temporibus ab Ecclesia prohibitis, praesertim in illis Regionibus, ubi adest consuetudo tali tempore, Matrimonia non contrahendi. Ex quo patet ratio, cur in Fagundez, et aliis Authoribus, prohibitio celebrandi Nuptias temporibus vetitis non computatur inter Praecepta Ecclesiae, quia in suis fortasse Regionibus usus est in contrarium. Caeterum rigor Episcopi in his dispensationibus fundatus est in *c. Cum, scimus 9. q. 3.* ubi Episcopus declaratur Magister, et Custos Sacrorum Canonum, ideoque a Regulis eorumdem non debet praesumptione discedere, ut inquit Text. *in cap. Igitur. 25. quaest. 2.*

96 Ad illud demum quod habemus in nostro Textu, *Matrimonium omni tempore contrahi posse*, dico quod haec verba quae clare, et patenter, ac sine ulla restrictione loquuntur, multis quaestionibus causam dederunt, apud Doctores Canonistas; An scilicet possit absolute Matrimonium contrahi quocumque tempore absque dispensatione, vel dispensatio sit impetranda.

97 Nicolius *Lucubr. Cibil. l. 1. t. 10. de nuptiis, num. 72.* asseveranter asserit Matrimonium quolibet tempore contrahi, et consummari posse, absque alia Superioris licentia, ex vi verborum nostrae Rubricae, cui adhaeret Pignatell. *T. 6. cons. 47. num, 17. circa finem;* e contra Sayrus *de Censuris l. 5. c.*

*7. num. 43. 47.* interpretando Textum *in c. Cappellanus de Ferris. Ricci Prax p. 4. resol. 66. n. 2. Bissy. Hierurg. litt. V., num. 41. §. 1.* et communiter Doctores allegati a Monacello *d. l. 1. n. 1. de privata traductione Sponsae;* sustinent, Matrimonium tali tempore non posse contrahi, nisi cum expressa licentia Ordinarii, ad hoc ut Parochus, et contrahentes culpam, et poenam arbitriariam effugiant. Idcirco volunt intelligendam esse nostram Rubricam, loqui quoad validitatem, non vero quod licitum sit hoc facere.

98 Certum porro est, Matrimonium, quocumque tempore contrahatur, servatis servandis, semper esse validum, sed non semper esse licitum, quia obedientia, quam debent Ecclesiae Fideles, id exigit; et si contra eam aliquid agatur sine peccato non fit.

99 Igitur Rubrica tam clare loquitur in nostro casu tamquam si vellet dicere, Matrimonia quocumque tempore fiant, semper servatis servandis valide fiunt, non autem semper licite. Et quamvis nonnulli recentiores hanc opinionem invadant, ea ratione, quia dummodo fiat Matrimonium sine strepitu, et nuptiis solemnibus, semper bonum opus est, attamen non advertunt, quod Ecclesia habet liberam potestatem reservandi quodcumque tempus sibi lubet, a quo si aliquis recedere velit, nequeat hoc facere sine participatione Ordinarii, qui Ecclesiam repraesentat. Nonne bonum opus est jejunare? Nihilominus prohibet Ecclesia jejunium in die Dominico, Gelasius Papa *in c. Jejunium, de consecr. dist. 3. D. Thom. in 4. dist. 15. et 2. 2. qu. 147.*

100 101 Clarius confirmatur haec Conclusio ex verbis ipsiusmet Rubricae, nam postquam dixerit: *Matrimonium omni tempore contrahi potest:* subjungit: *Nuptiae vero qua decet modestia, et honeste fiant.* Sed nuptiae non possunt fieri in tali tempore, nisi obtenta dispensatione, ut supra demonstrabimus; ergo neque Matrimonium, per quod fiunt Nuptiae, ex Regula illa, quod ubi prohibetur antecedens, prohibitum etiam praesumitur omne id, per quod pervenitur ad illud, *l. Oratio. ff. de sponsal. Gloss. in Clement. 1. in verbo contrahere, Ricci Prax. p. 4. Res. 164. num. 1.*

XIII. Quae omnia fere ex Sacri Concilii Tridentini decretis desumpta, et item alia, quae ibi de Matrimonio rite contrahendo praecipuntur, sunt diligenter servanda.

102 Cum facile sit a via recta aberrare tum in rebus divinis, tum in humanis, ideo Patres oecumenicae Tridentinae Sy-

nodi, cum huic labendi facilitati, aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, Canones, et Decreta statuerunt in rebus ad Matrimonium spectantibus, a quibus recedere nemini liceret sine piaculo.

103 104 Ubi vero dubium oriatur, et ambiguitas, ipsa Ecclesia consulenda est, nec tanta fides praestanda Doctoribus qui concilii, seu Ecclesiae Doctrinam pro fundamento suarum opinionum non afferant, et hoc eo magis, quia Commentaria, Adnotationes, Scholia, et Glossae, aut ullum aliud interpretationis genus edi non possunt super Concil. Trident. ex Bulla Pii Quarti, quae incipit, *Benedictus 7. Kalend. Februarii 1563.* et hoc sub poena excommunicationis.

## RITUS

# CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

## TITULUS DECIMUS SEXTUS.

### SUMMARIUM

- 1 Praesentia Parentum, et Affinium in Matrimonio laudatur.
- 2 Paranympi quinam dicantur?
- 3 Paranympi debent esse aetate proveci.
- 4 Consensus Contrahentium est Matrimonii fundamentum.
- 5 Interrogatio de consensu fieri debet.
- 6 Parochus est Testis omni exceptione major.
- 7 Consensus, ante interrogationes, non est praestandus.
- 8 Nutus non debent precedere Interrogationem.
- 9 Interrogationes vernacula lingua faciendae.
- 10 Testes intelligere debent interrogationem.
- 11 Si contrahentes essent latini, interrogandi latine.
- 12 N. Littera Ritualis designat nomen.
- 13 Nomen Viri primo pronunciare debet in Interrogatione.
- 14 Nomen consuetum, non agnomen, seu Cognomen.
- 15 Contrahentes fictis nominibus male contrahunt.
- 16 Necesse non est superaddere Cognomentum.
- 17 *Volo*, est Responsio libera, et absoluta.
- 18 Potest exprimi per aequipollens.
- 19 Conditionata responsio suspendit Contractum.
- 20 Contractus non concluditur nisi purificata conditione.
- 21 Signa, quae exprimunt consensum, sufficiunt.
- 22 Haec sententia valet pro mutis.
- 23 Nutus sunt actus periculosi, et fallaces.
- 24 Responsio ab utrisque Sponsis danda.
- 25 Parochus peccaret, si omitteret interrogationes.
- 26 Si certus esset de consensu, esset peccatum veniale.
- 27 Natura contractuum est, ut contrahentes ad unum finem concurrant.
- 28 Contractus sumitur, quando hinc inde est obligatorius.
- 29 Matrimonium est contractus mutuus.
- 30 Matrimonium debet firmari per amborum consensum.
- 31 Matrimonium per Procuratorem valide contrahitur.
- 32 Quaeenam sint necessaria in Procuratore?
- 33 Actus Procuratoris constituit unum actum in genere moris.
- 34 Consensus exprimi debet nomine mandantis.
- 35 Manuum conjunctio est signum mutae fidei.

